



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 33.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

ut nova iussa capeffamus. Hâc ratione melius in obsequio Divino conservamur, de virtute in virtutem progrediemur, & tandem cum veris obedientibus, ad patriam cœlestem transmeabimus: ubi cum Seraphinis &

Cherubinis stabimus, volabimus, atque cantabimus lætissimum trisagium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.
Amen.

REGULA XXXIII.

De Obedientia Charitatis.

EXHORTATIO
IN EANDEM,

Obedientiam charitatis, ejusque præstantiam explicat.

T H E M A.

Cassificantes animas vestras in Obedientia charitatis.

I. Petri I. 22.

V E L

In spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur. Reg. 33.

Etsi Ecclesia, & Religio est Christi Domini sponsa, vestitu deaurato charitatis, & virtutis omnigenæ varietate circumdata; ita tamen nobilissima virtutum

nibus, sed alia in hoc, in alio alia excelleret, aliisque palmam præteret. Sic Religio S. Augustini in charitate & discretione: S. Benedicti, in choro & Dei laude: S. Brunonis in abstinentia & solitudine: S. Dominici in zelo & verbi Divini prædicatione: S. Francisci Seraphici in paupertate & rigore poenitentiae: S. Francisci de Paula, in jejuniis & animi demissione. Ordines militares in fortitudine

tudine & magnanimitate pugnandi pro Ecclesia Dei & religione eminent. Sanctus autem Fundator noster in aurea sua epistola de obedientia, in omnibus quidem virtutibus Filios suos cupit excellere, sed potissimum in obedientie perfectione: idem in regula presente inculcatum voluit, dum ait: *Omnes obedientiam plurimum observare, & in ea excellere studeant; ut ea velut signo distinctivo, quodammodo ab aliis discriminemur. Excellentiam verò & perfectionem illam, in eo collocat, Ut non solum in obligatoriis, verum etiam in aliis non obligantibus, nec solum in expressè præceptis, verum etiam nutu indicatis; pareamus, & in spiritu amoris, non autem cum perturbatione timoris, procedamus: Mediūque ad ista efficax assignat: Versari debet ob oculos, Deus Creator & Dominus noster; propter quem homini obedientia præstatur. Omnia autem illa verbo complectemur, si eam, quam à nobis exigit, obedientiam charitatis vocitemus, ad quam Princeps Apostolorum hortatur: Castificantes animas vestras in obedientia charitatis, l. c. Id est, purificantes corda vestra per obedientiam, quæ ex motivo, impulsūque charitatis procedat. Quare quidnam sit hæc charitatis obedientia, & quamobrem in Societate nostra, in primis locum habere debeat, modò exponemus.*

I.
Quid sit
obediencia
charitatis.

I. Quisquis rescire, ac penetrare aver, quid nam sit excellens illa obedientia, de qua diximus, seu obedientia charitatis; nullo negotio, id perspexerit, si prius apprehenderit, quid nam

fit obedientia spei & timoris: longissimè enim virtutum harum indoles inter sese dissident. Quid igitur est obedientia timoris servilis? Illa nimirum quæ quis Præfidi suo pareat, ne ab eo monitis, reprehensionibus, aut poenæ castigetur; quemadmodum servus aut mancipium Hero suo obtemperat. Atque hæc est obedientia necessitatis, non charitatis. Obedientia spei est, cum quis eo solum sine Domino aut Principi suo obsequitur; ut ab eo commendetur, laudibus effertur, donis ac præmiis remuneretur, aut ad munus honoratius evehatur. Atque hæc est obedientia mercenariorum, aut ambitione, superbiæque laborantium, non charitate ferventium. Obedientia verò charitatis est, qua nec ob poenæ morem, nec ob mercedis, præteritæ temporalis, retributionem; sed pure propter Deum, quem amore filiali prosequimur, Præfidiis nostris obtemperamus. Atque hæc est excellens illa *Obedientia charitatis*; quæ intra utramque prædictam se collocans, utramque exterminat. De ea loquitur S. Evangelista Joannes: *Perfecta charitas finem mittit timorem.* 1. Epist. 4. 18. Hæc quoque nomen meretur obedientia filialis, quæ, tanquam filii ingenitæ ac dilecti parentibus, ita nos Superiores obedientiam exhibemus.

Admirabile hujus filialis erga Deum & Parentem obedientie exemplum præbuit sanctus Patriarcha Isaac dum usque ad mortem, promptum se, obsequentemque Patri suo Abraham exhibuit. Gen. 22. 10. unde licet mortem evaserit, inter Martyres tamen, à quibusdam

quibusdam recensetur, ut qui pro obedientia virtute, vitam gladio subiecit. Heroica sanè hæc fuit obedientia charitatis, dum in flore ætatis, quinto scilicet & vice simo vitæ anno, cum adhuc alios centum sperare potuisset, amore dei, se morti obtulit, spemque vitæ omnem præcidit: rara obedientia, quando à patre ligari voluit, aram conscendit, cervicem obtulit, ictum certissimum expectavit. *O religiosam animam! O fortem mentem!* exclamat S. Chryostomus hom. 48 in gen. O ingens robur animi! O rationem, omnem humanæ naturæ affectum, vincen-tem, utrum admirex, fortemne spiritum patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam? quod neque reluctatus est, nec factum ægre tulit; sed cessit & obtemperavit iis, quæ à patre fiebant, & sicut agnus cum silentio super altare decubuit, expectans patris dexteram.

Alterum obedientiæ charitatis exemplum nobis suppeditant spiritus angelici, qui semper vident faciem patris; ex qua visione, necessariò amor ardentissimus oritur, quo impulsû, ad nutum divinæ voluntati obsecundant. Angeli enim sunt *potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Pl. 102. Hinc alati pinguntur & ignei, quia celerrimè & efficacissimè igneo amore succensi, permotique Dei iussu exequentur, juxta illud: *Qui facit Angelos suos spiritum, & ministros suos flammam ignis.* Psal. 103. 4.

Tertium, idque omnium nobilissimum, obedientiæ charitatis exem-

plum, offert nobis Redemptor noster Christus; qui remi summè arduam, passionem scilicet suam auspicaturus, ex obedientia charitatis, eandem maximo spiritu, animoque generosissimo aggressus est; unde dicebat: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite cumus hinc.* Joan. 14. 31.

Quartum exemplum præbent primi Christiani, Christi exemplum secuti, quos S. Petrus 1. Pet. 1. 14. vocat filios obedientiæ, dum ait: *Quasi filii obedientiæ.* Tanquam si diceret; state succincti lumbos & expediti, ut decet filios obedientiæ, Christi & Apostolorum præceptis obedentes. Ubi S. Petrus exigit obedientiam à fidelibus, non qualem qualem, sed filialem, ex amore & reverentia filiali, sive *Obedientiæ charitatis.* Deinde *Filii obedientiæ,* planè dediti & addicti obedientiæ, ut ex ea quasi matre geniti, obedientiæ indolem ac naturam hausisse atque imbibisse videamini. Denique *Filii obedientiæ,* quasi penitus devoti & consecrati obedientiæ. Et revera tales erant primi Christiani, qui votum & professionem obedientiæ Apostolis ediderant, ut ostendit Cornelius à Lapide in c. 5. 1. Actorum. Adeoque sicut vocantur filii perditionis, incredulitatis, dissidentia, iræ, mortis & gehennæ, qui perditioni, incredulitati, dissidentia, vindictæ, morti & gehennæ addicti sunt; ita dediti filiali obedientiæ charitatis, filii obedientiæ ab Apostolo nuncupantur.

Hujus igitur, Charissimi, obedientiæ fili-

filialis desiderium excitemus, ut non metu poenae, ut servi; non spe mercedis, ut mercenarii; sed impulsu charitatis, ut filii; ad Dei & Superiorum voluntatem inclinemur.

II
Societati
principue
conveni-
ens.

II. Ratio autem, quare hæc obedientia charitatis, ad eum hominibus Societatis, omnibus & singulis sit necessaria, præcipua est; quia hæc duæ virtutes seorsim à nobis valde in Societate exiguntur; ergo etiam conjunctæ. Quod autem seorsim exigatur obedientia, patet: nam in primis S. Patriarcha noster in aurea epistola de obedientia, disertis verbis id palam facit: dum cupit, ut obedientiam perfectissimam, velut caractere & signo distinctivo ab aliis Ordinibus discernamur, quemadmodum milites vexillo, colore aut baltheo dignoscuntur. Deinde ipsum etiam vocabulum *Societas* satis id arguit; hoc enim militare est vocabulum (militia enim cohortes compagna dicuntur, quo etiam nomine, in Gallia Societas appellatur) scimus autem quam rigida, quam exacta, inter milites, obedientia vigere debeat, quamque ingentia orientur damna & pericula, si ea jaceat.

Deinde seorsim exigitur charitas singulari modo à nobis, ut ex variis patet: nam 1. Statim initio Constitutionum monet S. Pater noster, charitatis legem, quam Spiritus Sanctus cordibus nostris inscribere solet, adiuturam, ut Societas nostra conservetur, gubernetur & promoveatur. 2. Diversis Constitutionum locis sancit legem charitatis, ut p. 3. c. 1. §. 18. *Unio & conformitas mutua diligentissime curan-*

da, nec qua eâ adverterentur, permittenda, quo uniti invicem fraternæ charitatis vinculo, melius & efficacius prestet se Divino obsequio & auxilio proximorum impendere. Et merito sunt: Si enim omnibus Christi fidelibus in Corinth. 16. 13. dicitur: Omnia vestra in charitate fiant. Et ad Coloss. 3. 4. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et illud 1. Petri 4. 8. Ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes. Quanto magis hæc à Religiosis requiruntur, qui vinculo peculiari unius ejusdemque regula, seu normæ vivendi, tum in exterioribus, tum in interioribus, colligati sunt?

Et quamvis hæc omnibus Religiosis Ordinibus propria esse debeat, magis tamen, haud dubie, Societati JESU; est enim hæc, ut supra meminimus, militari vocabulo insignita, ad innuendum ei, quod bonum certamen & pro sua & pro aliorum salute, certare debeat: scimus autem quod sub vexillo militari, magna animorum consensio, magna Ducum benevolentia, magna inter omnes pax, ad bellum feliciter gerendum necessaria sit: quanta ergo pax, concordia, benevolentia & charitas inter nos necessaria erit, ad longè majus, periculosiusque bellum, quod contra Mundum, carnem & dæmonem bellandum suscepimus, feliciter conficiendum?

III. Quemadmodum verò hæc obedientia charitatis à primordio semper in Societate floruit, atque etiamnum viget; ita spiritus ille charitatis ex

Instituto

Instituto nostro promanans, affiduè fovendus à nobis est, & conservandus. Sanè cum R. P. Hieronymus Natalis à S. P. Ignatio missus, per Hispaniam & Lusitaniam, Constitutiones nostras explicaret, mirum ubique excitavit ardorem; adeò ut cum quis Collegium aliquod intraret, videret interdum viros graves & ætatis provectæ, alacres & festinantes ad omnia, quæ regula injungit, currere; haud secus, ac si juvenes essent. Præclara certè laus, quam hodiè que tam multi gemini Societatis Filii æmulari student, factò que ipso veluti loquuntur illud 2. Corinth. 5. 14. *Charitas Christi urgens*. Adeò promptos, lætos, alacres in omnibus Superiorum mandatis, seu per seipsos, seu per subordinatos Officiales deaudentur, exequendis, se exhibent. Nimirum charitas otiosa esse nequit; & quia igni assimilatur; *Nunquam dicit, sufficit*. Proverb. 30. 16. Sed ubicunque pabulum aliquod reperit, esto solum Superioris nutum habeat, huc se illico vertit.

De hoc in Societate, spiritu charitatis, ut quàm plurima omittamus, testimonium luculentum præbuit Ruardus Tapperus Universitatis Lovaniensis Cancellarius; Vir sanè gravis & doctus, qui Patris Adriani ab Adriani professionem solennem excepit, in laudem Societatis pro concione dixit; ut videtur tom. 1. Hist. Soc. L. 11. n. 43. Propositis namque ex Evangelio S. Joannis c. 13. Christi verbis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Primò quidem ante sacrum, latinè, deinde

verò post Sacrum, ut frequentissimè multitudini inserviret, linguâ vernaculâ, studio sensûque animi maximo: In lege, inquit, veteri, carnalibus, rudibusque Judæis mandatum fuit: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: At in nova, uti S. Cyrillus in Joannem exponit, jubentur discipuli diligere proximum supra seipsos: nempe sicut Christus dilexit nos: atqui Christus longè magis dilexit nos, quàm ipsemet diligamus nos. Tum ad Societatem transiens, id est, inquit, quod hæc sancta & nova Jesu Societas præstare studet: hoc ejus filii propositum est, ex hoc novo Christi mandato, nihil charitate fraternâ prius habere, sui nullam rationem ducere, seipsos exinanire, totos se ad honorem Dei & salutem proximorum effundere, quemvis laborem, quodvis discrimen subire, denique vitam ipsam, pro Christo & animarum salute contemnere: novus, inauditusque modus charitatis, què Christus ex hoc mundo transiturus ad Patrem commendavit suis. Postremò ita concludit: Hoc ergo novum mandatum pro fundamento & radice, sancta hæc Societas habet: qui enim se ei mancipant, non uni cuiquam, ut alia religiose familiaria, charitatis officio se dedicant; sed planè omnibus, ad quæcunque loca, ad quæcunque oras terrarum mittantur.

Præstans sanè Societatis elogium, ejus summam, Scriptor historia se monet proferre: tum ut extet benevolentia tanti Viri erga Ordinem nostrum monumentum: tum ut ex eo

Q99 2 posteri

posteri, quales esse debeant, aut certe
cujusmodi Institutum profiteantur,
agnoscant.

Magna ergo planè, ut ante diceba-
mus, a nobis exigitur seorsim & obedi-
entia & charitas: sed S. Pater noster
vult hæc quasi copulare; imò alterum
ab altero veluti pendere, & in alteru-
trum influere; ut & charitas sit obedi-
entia, & obedientia charitatis. Tunc
est charitas obedientia, quando chari-
tatem, quam vel fratribus domesticis,
vel externis exhibeo, ex præscripto
obedientia exerceo, tunc est obedi-
entia charitatis, quando ex charitate mo-
veor ad obediendum: Unde sicut
quando dico, equus petri, ostendo Pe-
trum esse dominum equi; sic cum dico,
charitas obedientia, vel contra, obedi-
entia charitatis, ostendo obedientiam
veluti dominam imperare charitati,
vel contra charitatem obedientia.
Quamquam autem utraque phras
propria est, & charitas obedientia, &
obedientia charitatis, posterior tam-
en, quæ à S. Petro usurpatur, maximè
propria est: si quidem cum charitas est
regina omnium virtutum, ejus est con-
tinere, possidere, dominari virtutibus,

non obedientia solum, sed etiam om-
nibus. Unde hanc obedientiam S. Pa-
ter noster à nobis requirit 3. p. c. 1. f.
26. ut placeamus divina bonitati propter
seipsam & propter charitatem, & ex
celsa beneficia, quibus prevenit nos, peti-
tis quam ob timorem peccatorum, vel quæ
præmiorum. Ubi procul dubio idem
cupit, cum Vicariis Dei, id est, superio-
ribus obedimus

Quapropter, cum hæc obedientia
charitatis 1. adeò sit præstans, variè
antiqua & nova lege à Christo & Apo-
stolis, primisque Christianis, verbis &
exemplis probata. 2. deinde societati
adeò conveniens & necessaria, sine
qua nec pro sua, nec pro salute proxi-
mi pugnare aut triumphare valet.
3. Denique assidua praxi usitata ab
initio in Societate fuerit; omni studio,
industriaque in eam incumbendum
erit, ut charitas tanquam regina virtu-
tum, omnibus, uti cæteris, ita & obe-
dientia nostra imperet: hæc ratione
in hac virtute, Societatis proprio
charactere, & distinctivâ
tesserâ, vel maximè
exellemus.

